Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Cvstos

urn:nbn:de:bsz:31-160625

Visual Library

vbi tamen ad Conuentus Ordinis noſtri peruenimus, eiſdem nos cōformare poſſumus, quamuis ratione Conuentûs proprij, aliud fortè Regionis aut loci ſtatus requireret. Qualiter tamen Eccleſiæ Diœceſanæ nos conformari oporteat in publico feſtorum cultu, dictum eſt ſupra *n.* 111. De priuato precum canonicarum, dicetur *V. Officium diuinum.* De Diſpenſatione Conſtitutionum Ordinis *vide V. Diſpenſare.*

CVSTOS.

117. *Cuſtodis Officium ex Regulâ Minoritanâ duplex.*
118. *Declaratur Officium primum.*
119. *Declaratur Officium alterum.*
120. *Cuſtodes à quo inſtituantur, & in quem finem?*
121. *Cuſtodum in animarum curâ poteſtas.*

117. NOmen Cuſtodis, à paſtorali vigilantia ductum, in Ordine noſtro FF. Minorum, modum Officij Prælatorum denotat ad duo potiſſimùm præſtanda vi Regulæ. 1. Per amicos ſpirituales pro infirmorum neceſſitatibus, & alijs fratribus induendis ſolicitam curam gerere, vt *in c.* 4. *Reg.* Deinde conuenire in Capitulo Generali cum Miniſtris pro electione faciendâ CXVII. *Cuſtodis Officium duplex.*

Generalis Miniſtri, vt *in c. 8. eiuſdem.* Ex teſtamento S. P. N. Franciſci, ad eoſdem ſpectat præſentare fratrem non ſanũ in fide repertũ Eminentiſſimo Protectori Ordinis.

CXVIII. *Primum Cuſtodis Officium.* 118. Ad primum quod attinet, quamuis ex vi Regulæ dicta cura *in c. 4.* ſolis Miniſtris & Cuſtodibus competat, Nicol. 3. tamen conceſſit, quòd eam alijs etiam fratribus, tam Guardianis, quàm non Guardianis, committere poſſint. Quia licet paruo fratrum numero exiſtente, ait P. Polit. *Ibid. n. 12.* potuiſſent forſan Miniſtri & Cuſtodes ad hæc procuranda ſufficere; multiplicatis tamen fratribus hoc impoſſibile erat: Nec enim vnus ſingularis Cuſtos, ſuæ Cuſtodiæ infirmis, vel induendis fratribus, corporali præſentiâ ad neceſſaria procuranda ſemper adeſſe potuiſſet. Indè eſt, quod hoc cõmuniter omnibus Guardianis committitur eoipſo, quo Guardiani inſtituuntur, & eorum Vicarijs, abſentibus Guardianis, eâ tamen moderatione, quam dicam *V. Guardianus.* Imò nec ipſis omninò Cuſtodibus, quamquàm cura Lanificiorum, in quibus ex emendicata lana pannum nobis ipſi paramus, ſingulariter concredita ſit, liberum eſt eundem pannum diſtribuere, ſed regulariter, vel à tota Definitione, vel ſaltem P. Prouinciale petendus eſt.

119. Circa

119. Circa 2. aduertit P. Sorbo *in Comp. Priu. V. Cuſtodes.* licet à Nicolao 3. *in c. Exiit.* §. *Inſuper.* fuerit ſtatutum, vt vnus tantùm Cuſtos pro qualibet Prouinciâ deberet accedere, qui in illa electione omnium aliorum Cuſtodum ſuæ Prouinciæ vices & voces gereret, vnam vocem tantùm dando: Attamen Leo 10. poſtmodùm ſtatuit, quòd in tali electione omnes Prouinciales & Cuſtodes ſiue vocales accedere tenerentur. Verùm in hoc ſeruanda ſunt propria noſtræ Congregationis ſtatuta, quæ numerum Cuſtodum, & eligendi modum, atque alia huc pertinentia præſcribunt *c. 8.* CXIX. *Alterum Cuſtodis Officium.*

120. Cùm Prouincia noſtra in tres diuidatur Cuſtodias, Lucernenſem, Conſtantienſem ac Friburgenſem Briſgoiæ, tot etiam ijs præficiuntur Cuſtodes, quos Definitio inſtituit (niſi ad Generale Capitulum mittendi ſint, quorum Electio fit à toto Capitulo) de quorum poteſtate noſtræ Conſtitutiones *c. l.* ita diſponunt: *Factâ Guardianorum prouiſione* (per PP. Definitores) *fiat pariter & Cuſtodum, vt antiquitùs in Ordine fieri vſu venerat, atque in proprijs Cuſtodialibus locis collocentur, qui aliquo graui, & vrgente caſu in ſuis Cuſtodijs contingente, & Miniſtri Prouincialis præſentia tunc haberi non poßit, curam & operam ſuſcipiant, & rei occurrenti, vt ipſis* CXX. *Cuſtodum Electio.*

æquum ac expediens viſum fuerit, conſulant & proſpiciant, &c. Ne limites iſtos leuiter excedant, ſeriò admonentur in Ordinationibus Capituli Gener: *1656.* § *De Cuſtodibus*, præſertim in concedendis Obedientialibus, niſi magnâ exiſtente neceſſitate P. Prouincialis tempeſtiuè prouidere nequeat.

CXXI. *Cuſtodum in animarum curâ poteſtas.*

121. Noſtris etiam Cuſtodibus adſcribit P. Sigiſm. *De Elect. dub. 104. n. 8.* Priuilegium Clem. 4 *in Comp. V. Cuſtodes.* quo ſtatuit: Quòd Cuſtodes & Guardiani, qui ſecundùm ſtatuta Ordinis FF. Minorum, aliter quàm per Electionem inſtituuntur; poſt ipſam inſtitutionem ſeu prouiſionem de ipſis factam, curam animarum ſibi ſubditarum ipſius Ordinis habeant, ipſosque ligare ac ſoluere poſſint iuxta ipſius Ordinis inſtituta. Quantam portò facultatem Inſtituta noſtra ijs concedant, videre licet *V. Abſclutio quoad fratres. Et V. Confeſſarius. Videatur item V. Iudex. V. Prælatus.*

DEFINITORES.

122. *Definitores Generalis ac Prouincialium in definiendo Collega.*

123. *Definitorum officia.*

124. *In definiendo auctoritas.*

125. *Tenentur in Conſultationibus reſpondere ſecundùm conſcientiam.*

126. *Item*